

nat, ædificare castrum ceperunt, & per descensum fluminis se paulatim disfundentes ab invicem divisi sunt, & inventum populum sibi subjecerunt. Ab his ergo Nobilibus prodierunt Suevorum Nobiles ut in plurimum, nec solus Curio cum suis filiis erat, sed multi Romani, & duæ præcipuæ generationes de Columna & Ursinis fuerunt eis junctæ, & ita vallem illam, per quam Rhenus defluit primo repleverunt, & quia autem Italici fuerunt, & Theutonicis nunc propinqui, commixtum loquebantur Italicum cum theutonio, ideo eorum locutio & terra dicebatur *Curvalchen*, & hodie dicitur Curwalchen à lacu Venetico usque ad montem *Settner*, quamvis jam theutonicum sit totaliter introductum.

Filiī autem Curionis divisi castra ædificaverunt *Starckenberg* vel *Montfort*, quod hodie est, & *Hochtreutz*, *Gutenberg*, & ceperunt Castellum *Bolando*, quod nominaverunt *Lutkirch*, & construxerunt *Wartouu*. Porro unus de filiis Curionis celibem dicens vitam dicebatur *Burgundus*. Hic descendit profundius in Sueviam cum suis, & sibi habitationem construxit supra in monte longe à loco ubi Ylarus fluvius Danubio jungitur ex opposito oppidi Uilm. Hic Burgundus suæ habitationi Ecclesiam junxit, & *Kirchberg* nominavit, & hodie creditur stare ad minus pars aliqua Ecclesiae illius, cui etiam annorum numerus lapide sculptus consonat istis temporibus. Nam in introitu Ecclesiae ad angustum sinistrum est in pariete lapis, qui habet sculpturam CCCC. XLIV. annorum. Hunc Burgundum dicunt Primatem Suevorum à Papa constitutum, & erat tam honestæ vitae, quod celebre factum est nomen ejus. Unde quotidie Ulmenſes devoti ad eum exibant, quibus monita salutis dabat. Alii autem de Uilm alterius mentis murmurabant contra eum, & facta fuit in oppido scisma major. Nam hæresibus tota Ecclesia deprauata erat illis diebus. Audiens autem Dux Sueorum *Saturninus*, qui residentiam habuit in *Tignopoli*, vulgariter *Rauenspurg*, divisiones fieri in terra, & Catholicam religionem crescere, turbatus est animo. Erat enim & ipse Arrianis consentiens, ut opinor, vel Romanis illis, qui Christi ritum deponere, & idolorum culturam resumere conabantur. Congregato autem exercitu descendit Uilmam, & pacem reformatum, intendens Burgundum & suos expellere, & Kirchberg destruere. Burgundus autem vir pacificus nocte cum suis per sylvas ascendit, & in Curwaldiam ad patrem & fratres suos venit, rem gestam eis exponens, & hoc facto alium quietis locum quæsivit gyrans lacum Veneticum & Acronium, & ibi inuenta Insula, quæ nunc *dives Ouuia* dicitur, eam purgauit, & habitationem sua religioni congruam in ea fecit, quam post eum Domini ordinis S. Benedicti acceperunt, & hodie possident. Dux autem Sueviæ *Saturninus* omnia, quæ fecerat Burgundus circa Uilmam, destruxit, & Præfectum Ulmensibus præposuit nomine *Sigualdum*, virum utique criminotum & malum. Ipse autem ascendens *Wartbusen* castrum